


Georg David Ziegra Julius Gruner

**Šemen ham-miš qodeš S. De Oleo Unctionis Sacro, Quod Exod. XXX. Comm. 22. - 25. describitur,  
Disputatio Philologica**

**1 :**

[Wittenberg]: Henckelius, 1680


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788774468>**

Band (Druck) Freier  Zugang





Fa - 1092 (114)



1. Buxtorf, Joh., exercitationes ad historiam:  
1. Arcae foederis; 2, ignis sacri et coelestis; 3, Urim  
et Thummim. 4. Mannae. 5, Petrae in deserto; 6, Ser-  
pentis aenei. Basil. 1659.

81.

בש הקבר

# שמן המשחה קדש

s.  
De

## OLEO UNCTIONIS SACRO,

Qvod Exod. XXX. Comm. 22. — 25. describitur,

*DISPUTATIO PHILOLOGICA,*

*Quam*

Athenis Leucoreis

*publicè examinandam proponunt*

PRÆSES

M. GEORGIUS DAVID Ziegler/

Wittenbergensis,

&

RESPONDENS

JULIUS GRUNERUS, Phil. Stud.

Hafenpothâ-Curlandus.

*In Audit. Minori, Die 24. Novemb. hor. pomerid.*

---

Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO clj lcc LXXX.

23  
24  
25  
26

STADT-BIBLIOTHEK  
ROSTOCK

1775

OLEO UNCTIONIS  
SACRO

Georgii Davidi Grogii

Disputatio

Alumini

Publice

R. R. S.

M. GEORGIUS DAVID GROGII

Alumini

RESPONDENS

JULIUS GRUENERTS, Phil. Stud.

Philosophiae

In Nova

Carolo

Anno



עמי עטר

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



*V*aria quævidem, nec eæ sine pondere sunt rationes, quæ nos à præfenti diuertire potuiffent instituto. Sive enim gravitatem expendamus argumenti, eæ me herclè tanta est, ut & summis ingeniis facessere negotium possit: Sive contem-  
plemur Autores, qui de hac materia hinc

inde scripserunt, ii sanè & accurati sunt, & plurimi, ut metuendum sit, ne ab his percoctam reponere hic crambem, aut Iliada post Homerum scribere videamur: Sive deniq; in nos ipsos descendamus, nostras q; exploremus vires, eas huic tanto oneri pares nequaquam deprehendimus, ita ut de nobis usurpari possit vetus Ebræorum verbum: הנמלים לא יוכלון:

הנמלים לא יוכלון: formicæ non possunt ferre onus camelorum. Quia tamen viam semel ingressi sumus ob iucunditatem hujus materiæ ac utilitatem à cæpto resiliere noluimus. Dabis autem, L. B., veniam, si non omnia rectè & accuratè, ut debuissent, fuerint pertractata, memor iterum illius Ebræorum, quod & מורה למצוה, intentio saltem & conatus boni operis pro opere ipso haberi debeat. Conatibus modo nostris ex alto benedicat & pondus addat Jehova!

A 2

§.i.Dum

23  
24  
25  
26



**D**um itaque *Oleum unctionis sacrum*,  
 ut salutabatur, in præfenti aliquo modo adum-  
 brare fert animus, abs re haut esse statuimus, si antè,  
 quàm in rem, quod dicitur, præfentem deveniamus,  
 ipsam apponamus textum authenticum, *Exod. XXX. 22. — 25.* ex-  
 pressum: inde enim non parum lucis toti huic tractationi accessu-  
 rum esse, confidimus. Is verò ita se habet:

(22.) וַיְדַבֵּר יְהוָה אֶל-מֹשֶׁה לֵאמֹר: (23.) וְאַתָּה קַח-לְךָ  
 בְּשִׁמִּים רֹאשׁ מֵר-דָּרוֹר חֲמֵשׁ מֵאוֹת וְקִנְמָן בְּשִׁם-  
 מַחְצִיתוֹ חֲמִשִּׁים וּמֵאוֹת וְקִנְה-כֶּשֶׂם חֲמִשִּׁים וּמֵאוֹת:  
 (24.) וְקִדְהָ חֲמֵשׁ מֵאוֹת בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ וְשֵׁמֶן זַיִת חֵין:  
 (25.) וַעֲשִׂיתָ אוֹתוֹ שֵׁמֶן מִשְׁחַת-קֹדֶשׁ רָקַח מִקְרָר-  
 מַעֲשֵׂה רָקַח שֵׁמֶן מִשְׁחַת-קֹדֶשׁ יִהְיֶה:

Versio Ariæ Mont. (22.) *Et locutus est Dominus ad Moysen, di-  
 cendo: (23.) Et tu accipe tibi aromata capitis, myrrha libertatis quin-  
 gentos, & chinemon aromatis, dimidium ipsius, quinquaginta & ducen-  
 tos; & calami aromatis quinquaginta & ducentos. (24.) Et castiæ  
 quingentos in seculo sanctificatis; & olei olivæ Hin. (25.) Et facies ipsum  
 oleum unctionis sanctitatis pigmentum pigmenti opere pigmentarii.  
 Oleum unctionis sanctitatis erit.*

Alias quatuordecim Translations chartæ redimendæ ergò huc  
 transcribere super sedemus, sed potiùs ad rem ipsam nos accingi-  
 mus, & quomodo Deus T. O. M. fidelissimo suo Cancellario, Mo-  
 si, non tantùm materiam seu species, ex quibus constare debebat,  
 nobilissimas, sed & earum pondera ac mensuram, imò ipsum con-  
 ficiendi modum clarè indicat, spectemus. Mandat namq; ut sumat  
 בְּשִׁמִּים *aromata*. Radix hujus vocis בְּשִׁם vel בְּשִׁים verbalis in S.  
 Bibliis non legitur, in Scriptura tamen Talmudica, lingvâq; Chal-  
 daicâ

daica & Syriaca reperitur בשם, & idem est quod בסם, *exhilarare, oblectare, suave, dulce esse vel fieri, aromatibus condire*, docente Buxt. in Lexic. suo Talmud. ad voc. בשם & בסם, & Schindl. in Lex. Pentagl. ad easd. voces. Quare nomen hoc inde deductum rem delectabilem, suavitate odoris & saporis gratam atque jucundam, condendis rebus adhiberi solidam, notat. (Multi hinc quoque nostrum Bifem ortum esse volunt.) Et eò etiam respexerunt LXX, qui per ἰδύομενα *dulcedines vel condimenta suavia*, ob odoris saporisq; suavitatem, interpretati sunt.

§. 2. Sumere autem debebat ראש בשמים *aromata capitii*, i. e. capitalia, præcipua & optima, ut Pagninus & Vatablus reddunt. Est enim Ebraïsmus, in Scripturâ S. valdè usitatus, sicut rectè notavit Amama, ut caput sumatur pro optimo & præcipuo. Sicut enim caput est primum & præcipuum totius corporis humani membrum; ita quod præstantissimum in genere suo est, nomine Ebraïo, capitii & principii insignitur, qualia plura exempla vide Ps. CXLI. v. 4. Cant. IV. 14. Ez. XXXII. 22. Amos. VI. 6. &c. Imò nobis ipsis in lingua vernacula probè nota est hæc locutio. Nam dignitatem & nobilitatem alicujus rei indicare & explicare volentes, sæpissimè præponimus vocabulum Haupt/ v. g. Hauptbuch/ Hauptfräuter/ Hauptgewürz &c. Ita quoque loquitur Beer Mos. verba ista ראש בשמים exponens per ראש הייבט Hauptwürz. R. Sal. Jar-ehi exponit per voculam ראש *præstantissima, estimata*, veluti cara & rara. Chaldaeus: *aromatum præstantissimum*. Versio Arabica: *Tu autem sume tibi ex præcipuis aromatibus*. Luth. die besten Spe-cereyen. R. Aben Ezra per vocem capitii summos aromatum apices intelligit, in quibus plerumque summa aromatum vis contineri solet. Ita enim scribit: טעם בשמים ראש שיוקח הראש מכל כשם כי הוא הנכבד מהנשא באחרונה: *Sensus harum duarum vocum ראש בשמים est, quod sumi debeat caput seu principium (i. e. optimum) quodq; de singulis aromatibus, quia hoc præstantius illo, quod postremo relinquitur*. Quæ expositio non adeò inconcinna est, & optimè locum habere potest. Junius & Tremellius vertunt quidem etiam per *aromatum præstantissimum*, alii aliam dant explicationem. Intelligunt enim per ראש בשמים peculiarem aliquam speciem, & quidem omnium præstantissimam, h. e.

Balsamum, omnibus, ut loquitur Plinius, odoribus prelatum, quod  
 ideo Arabibus dicitur Belsamin, quasi dicas, dominium obtinens inter  
 aromata. Verum si peculiaris intelligenda esset species, certum  
 ejus, ut in reliquis, pondus indicandum atque adscribendum, ne-  
 que שרר כשמים, sed שרר בשמים princeps s. *primarium aro-*  
*matum* dicendum fuisset. Quapropter dehinc sententiam mutave-  
 rant, addentes: *vel uniuscujusq; generis, quod subjungitur, quicquid*  
*est prestantissimum.* Nimis à veritate aberrat Vulgata, quæ vocem  
 illam capit per primam interpretatur, eamq; conjungit non  
 cum aromatis, sed cum myrrhâ, sequenti modo: *Sume tibi aroma-*  
*ta, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos;* cum quæ facit Corn. à  
 Lapide in hunc ipsum locum. Sicut & LXX: καὶ σὺ λάβε ἡδύσμα-  
 τα, τὸ ἀνθ' ἑσμουμένης ἐκλεκτῆς πεντακοσίων. *Et tu sume suavitates,*  
*florem myrrhæ electæ, quingentos siclos:* nec non Mogunt. die besten  
 auserlesenen Myrrhen; alii contra omnem accentus rationem.  
 Vox enim שרר non conjungitur cum שרר מר, sed distingui-  
 tur per distinctivum שולט. Samaritanus rem in dubio relinquit,  
 ejus enim verba: שרר מר שרר מר שרר מר שרר מר שרר מר שרר מר  
 : שרר מר reddi possunt vel: *Tu autem accipe tibi aromata pre-*  
*stantissima: myrrham liberè fluentem &c. vel: Tu autem accipe ti-*  
*bi aromata; prestantissimum myrrhæ liberè fluentis.*

§. 3. Horum autem prestantissimorum aromatum quatuor  
 in textu nostro recensentur species, quarum prima vocatur שרר  
 שרר. Quid verò per שרר intelligatur, autores inter se non con-  
 veniunt. Sunt, qui Moschum exponunt, odoramentum illud  
 longè vehementissimum & acutissimum, de quo vid. Scalig. *Exer-*  
*cit. XXI. & CCXI.* nec non Salmuth *Comment. in Pancir. P. II. Tit. I.*  
*pag. 63. seq.* Ita enim Arabs: *caput optimi Moschi liberationis seu*  
*salutis.* Sic quoque Rambam in *Hal. Kele Hammikdash. c. 1. v. 5.*  
 quem Schickardus in *Regio suo Tractatu de Jure Regio, c. 1. Theo-*  
*rem. IV.* citat, scribit: המור הוא הדם הצרור כחור  
 שבחורו הידוע לכל שמתבשמן בה בני אדם בכר  
 : מקום *Mor est sanguis ille concretus in bestia quadam India,*  
*notus omnibus; quia eo condiunt se homines ubiq; locorum.* Cui sen-  
 tentiæ favet R. Aben Esra in *Comment. ad Exod. XXX,* ita inquisiens:  
 מלה

מלת מר קדש והגאון תרגמה מושק והנה איננו מעצי  
אעפ שיש לו ריח טוב אולי בעבור זה הפרידו הכתו  
מה בשמי כי ארותי מורי עם בשמי והנה הו  
מלוקט ואומרי המביאי אותו כי הוא נעשה בגרון  
הצבי והנה כטוב וידי נטפו מר אולי כן הוא נהויתו  
: *Vox est difficilis, Gadon (intelligit R. Saadium) inter-*  
*pretatur Moschum; at is non est de arboribus, quavis ei sit odor*  
*suavis. Forsan etiam propterea separat eum Scriptura ab aromati-*  
*bus, quod scriptum (Cant. V. 1.) decerpsi Mor meum cum aromate*  
*meo. Ecce Mor colligitur, & dicunt ii, qui eum adferunt, quod gigna-*  
*tur in gutture caprea. Et ecce scriptum: (Cant. V. 5.) Manus mea*  
*stillant Mor; fortassis si adhuc recens est. Qui tamen recte corri-*  
*guntur à Baal-Magg in Glos. marg. dicente: אא אין דעתי:*  
שיכנסו במעשה הקדש דם שום חיה בעולם כל שכן  
דם חיה שמאה אכל המור הוא אמור כשור השורי  
באתי לגני אחותי כלה ארותי מורי עם בשמי והוא  
: *Ajo ego: mihi non vi-*  
*deri, quod compositionem sacram ingrediatur sanguis ullius ferae in*  
*mundo, nedum immunda. Sed hujus vocis recordatur etiam Cant.*  
*Cantic. (1. c.) Veni in hortum meum, soror mea sponsa, decerpsi MOR*  
*meum cum aromate meo. Itaq; erit de specie fruticis alicujus vel ar-*  
*boris, cujus odor fragrans. Sunt etiam, qui Thuris esse speciem*  
*existimant, inter quos recensendus est R. D. Kimchi in שורשים;*  
רבינו חיי זל פירש שהוא שרף עץ שיש  
לו ריח טוב הנקרא בערבי לובני ולזה יתכן לומר  
: *Magister noster Hay p. m. explicavit esse gummi arboris*  
*odoratissima, quod appelletur Arabicè LOBNI (de quo vide Golii*  
*Lex. Arab. fol. 2100.) h. e. styrax: & sic quadam dicere (Cant. V. 1.) de-*  
*cerpsi. Aliis sub nomine מר libuit balsamum intelligere, ut מר*  
*fit lacryma, quia liberè fluens lacryma balsamum est. Alii aliter*  
*exponunt.*

§.4. B.

§. 4. B. noster Lutherus optimè Myrrhen reddidit, quo  
 cum omnes fermè accuratissimi Interpretes conveniunt, *Myrrham*  
 exponentes. Nec dubium, quin מ Myrrha sit, cum præter vo-  
 cum convenientiam res ipsa optimè quadret. Circa etymon ta-  
 men vocis מ eruditi disconveniunt, quorum opiniones paucis  
 adducemus. Alii enim à R. inuf. מר, in Hiph. מרר *mutare, per-*  
*mutare*, &c. quod non faciliè permutari sinat, e.g. corpora, quæ à  
 putredine conservat, deducunt. Alii à R. מרר *amarum esse*, eò  
 quòd Myrrhæ sapor sit amaricans, proptereà etiam ea, quæ amara,  
 acris & odorata est, à Dioscoride commendatur. Et hinc Arabes  
 ei nomen imposuerunt, nominantq; <sup>46</sup>מר, à Rad. <sup>7</sup>מר, quæ  
 significat, *res amara fuit*, vel *amarum reddidit*. Sic Syris dicitur  
 מרר item מרר ab inufit. מר, quod ta-  
 men in Aphel Fut. usitatum, ubi <sup>7</sup>מר <sup>7</sup>מר *amarum reddet*,  
 significat. Chaldæis est מרר *Myrrha*. Alii à מר *gutta, still-*  
*la*, derivant, quibus myrrha forsan dicitur, quæ Græcis audit  
 μυρρινη h. e. *myrrha stillatitia*. Pagninus ipsam esse radicem dicit.  
 Sed de his plura vide apud Lexicographos: nos potiùs, Quid  
 Myrrha sit, dicemus, postquam, quid de ea fabulentur Poëtæ, ex-  
 posuerimus. Poëtæ namque, qui sub ingeniosis figmentis univer-  
 sas propè naturæ res declarant, fingunt, *Myrrham Cynara regis fi-*  
*liam fuisse, quam, cum pater vitiatam gladio interficere vellet, Di,*  
*in Arabiam fugientem, ejus miserti, in Myrrham arborem converte-*  
*rint, ut metamorphosin hanc egregiè describit Ovid. Lib. X. Me-*  
*tamorph. 9.*

§. 5. Describitur autem Myrrha à Plinio *Lib. XII. cap. 15.* quòd  
 sit pingvedo odorata, quæ in Arabia felici gignitur, cujus arbori  
 (terebintho haut dissimili) sit altitudo ad 5. cubitos, nec sine spi-  
 nâ, caudice durò & intortò. Folium ait esse, sicut olivæ, verùm  
 crispius, sapore juniperi: myrrham gustu leniter amaram, &c. Eo-  
 dem ferè modo eam describit Isidorus *Lib. 17. c. 8.* *Myrrha Arabie*  
*arbor, altitudinis 5. cubitorum, similis spina, quam ארבעה דור dicunt,*  
*suus gutta viridis atq; amara; unde & nomen accepit myrrha. Gutta*  
*ejus*

ejus sponte manans, preciosior est, elicita corticis vulnere vilior judi-  
 catur. Prolixè quoque de ea agit Dioscorides Lib 1. c. 76. Συόμενα  
 δάκρυόν ἐστὶ δένδρον ἡγωνόμενον, ἐν Ἀραβίᾳ, ἕμοιον τῇ αἰγυπτιακῇ  
 ἀκάνθῃ, ἃ ἐγκοπιόμενα ἀπὸρρεῖ τὸ δάκρυον εἰς ὑπερβαλλόμενα ψιλά-  
 ρος &c. Myrrha lacryma est arboris crescentis in Arabia, quæ simi-  
 lis est Egyptiaca spine: quâ incisa, defluit lacryma in substans tege-  
 tes &c. Ubi simul varias ac multas recenset species, quarum præ-  
 cipuæ sunt: Πεδιάσιμ, Γαβιρέα, Τρωγλοδυπηή, Καυκαλὶς,  
 Ἐργασίμη, Ἀμινέα, Δεπτή. Plinius tamen modò nominatus l. c.  
 c. 16. cum quo conf. Pancir. P. 1. Tit. XII. & ejus Comment.  
 Salm. p. 51. rem faciliorem reddit, & duplicis eam esse generis di-  
 citur: una enim ex arbore à radice ad ramos bis quotannis incisa  
 profluit, quæ Communis adpellatur, à Lyrano Secunda: aliam au-  
 tem arbor spontè, priusquam incidatur, sudat, quæ Stacte voca-  
 tur, à σάκτω, sillo; cui nulla præfertur, & à Lyrano Prima nomi-  
 natur. Illa passim in Pharmacopoliis reperitur; hæc verò optima;  
 rara & cara est, & in nostro textu intelligitur: sicut & Talmudici  
 hinc inde in Tr. Pesachim f. 43. 1. Schabbath f. 80. 2. Megilla f. 13. 1.  
 Moedkat. f. 9. 2. Menachoth f. 86. 1. per Stacten exponunt. Cæ-  
 terùm consideratu quoque dignum est, quod במרר f. in Me-  
 drasch de hoc מרר legitur. Nam non solum ibi per Myrrham quo-  
 que exponitur, sed & Abrahamum adplicatur, quando scribitur:  
 כחמור ראש לכה הכשמים כן אברהם אבינו ראש  
 לכל צדיקים. מה המור מי שלוקט תותו ודיו מתמר  
 מרות ראינו מפית ריחו אלא באור כך אברהם ממרר  
 ; Ut Myr-  
 rha precipuum est aroma, sic Abrahamus pater noster precipuus in-  
 ter justos. Quid ulterius commune habet? qui colligit myrrham,  
 ejus manus amarescunt; nec exhalat odorem suum, nisi in igni: sic  
 Abraham amare faciebat sibi, sed demonstravit pietatem in furno  
 ignis, (credunt enim à Chaldæis odio religionis in fornacem fuisse  
 missum &c.)

§. 6. Sed quid vocabulum ררר appositum sibi velit, nunc  
 porrò nobis inquirendum est. ררר præter alias significationes

B

etiam

etiam notat libertatem, ut ad verbum sit: Myrrha libertatis. Verum quid Myrrha libertatis? Respondet R. Sal. Aben Melech in *Michlal Jophi* f. 24. 1. ex R. D. Kimehi radicibus: מר רור הוא המור הטוב שהוא הפשוט מן הזיק והתערובות.

*Myrrha libertatis est myrrha optima, quæ libera est à falsatione & mixturâ, scil. ἐπιγεγραμμένη.* Quem sequitur P. Fagius, qui Myrrham non adulteratam interpretatus in notis ad Targum Onkelos; sicut & Vatablus & Grotius in h. l. Solet enim Myrrha frequenter adulterari, ut notat Plinius L. 12. H. N. c. 15. Sic Chaldaeus מורה רבית & Syrus ميره ميره Myrrham mundissimam, purissimam reddiderunt. Tremellius & Junius, Myrrham ingenuam. Vulgatus, Myrrham electam, ut LXX. σμύβηλω ἐμλεχλω. Luth. die edlesten Myrrhen. Beer Mos. וריה וירץ Breywürtz. Sixtino autem ab Amama Myrrha libertatis, seu libera, est libera fluens, siquidem duplex Myrrha sit, optima, quæ spontè sudat de arbore, & minus bona, quæ ex incisione manat. Ita quoque Pagninus & Corn. à Lapide, cujus verba ad h. l. hæc sunt: caput Myrrhæ liberae, id est, liberè fluentis, vel destillantis. Porro caput Myrrhæ liberae est stacte, quæ est flos myrrhæ, (uti vertunt LXX. & S. Hieron. ad Principiam) id est lacryma myrrhæ; puta liquor spontè à myrrhæ defluens, & destillans, quæ Myrrhæ est purissima, lectissima & præstantissima. Unde Hebr. vocatur caput myrrhæ, id est, id quod in myrrhæ est primum & præstantissimum. At de hoc supra diximus. Nonnulli volunt, Mor libertatis idè dici, quòd sit odoriamentum liberum, odorem suum spontè diffundens latissimè, neque opus habeat contusione, aut igne, aut artificio aliquo, ut dispergat odorem. Vid. Simler. Comment. in h. l.

§. 7. Altera, ad sacri hujus olei confectionem jussu Dei adhibita aromatum species in textu nostro vocatur קנמן בשם Cinnamomum aromatis s. odoratum. Plurimi autem ex Interpretibus hujus vocis originem Ebræam retinuerunt, ut non opus sit, omnes adducere. Arabs tamen illud reddit Lignum odoriferum.

Syrus ميره ميره. Chaldaeus קנמנה vel קינמן.

קינמן. Talmudicis ררצונני / חמס / aut חומס, quod in Ba-  
al Aruch exponitur *Cinnamomum*. Græcis κιννάμωμον, & quod  
magis cum Ebræo convenit חלבהמון, *Cinnamum*. Unde Ovidius  
L. 3. *Fastorum*:

*Cinnamatum primum, captivâq; thura  
dedisti.*

Lutherus reddidit Cynamet / & Beer Mos. צימרינד Zimrind. Val-  
dè erravit R. D. Kimchi, qui in Rad. dicit קנמן esse aroma quod  
vernaculè dicatur לינוי אלואי h. e. Hisp. vel Italicè legno Aloe,  
lignum Aloe, & idè בשם additum esse ait, ut notetur Aloe  
illa non medica, sed aromatica & εὐωδης, ut eum citat Grotius in  
suis observationibus ad h. l. Aliter loquitur רשי in Perusch ad  
l. c. Ex. יש קנמן בשם לפי שהקנמן קלפת עץ הוא יש

שהוא טוב ריש בו ריח טוב וטעם ריש שאינו  
אלא כעץ לכן הוצרך לומר קנמן בשם מן השוב:  
Dicitur בשם eo, quod cortex arboris sit; est enim, quæ bo-  
na, & cui odor saporis atq; sapor: Et est, quæ tantum lignum omnis  
odoris expers, quare necesse habet dicere בשם, ut bona  
sumatur. Et R. AbenEfra hunc in modum scribit: מה טעם

להזכירו אולי שיהיה מהנכבד גב הקנמן:  
Quæ ratio, quod mentio fiat ejus (scil. בשם) nisi quod sumi debeat opti-  
mum, quemadmodum etiam in קנה fieri solet. Tale quoque notat  
ex R. Salomo Lyranus, qui cinnamomum duplex esse dicit; unum  
quod parum vel nihil habeat de odore, aliud autem totum aromati-  
cum, quod si verum est, necessarium fuit aromatis nomen ad distin-  
ctionem, quod tamen Vulg. omisit.

§. 8. Est verò Cinnamomum juxta Plinium frutex altitu-  
dinem duarum ulnarum excedens: præcipuam bonitatem in par-  
tibus gracilioribus habens, quoniam ibi plus corticis est, in quo  
summa gratia. Unde, quod radicibus proximum est, utpote cras-

B 2

sus



fus ac minus corticis habens, vilissimum est. Et in alio loco di-  
 cit, quod cortex arboris lauro-similis sit, cujus rami, (non verò  
 caudex,) singulis ternis annis inciduntur, & eo modo cortex de-  
 mitur. Salmuth. ad Pancir. P. 1. Tit. 9. & alii Phytologi præstan-  
 tiam ejus nimis extollentes, inter ea referunt, quorum nulla no-  
 bis hodiè est notitia. Quin ipse Galenus Lib. 1. Antidot. scribit,  
 suo jam tempore rarò fuisse inventum, & non nisi armariis Princi-  
 pum. Ifid. L. 19. 8. *Cinnamomum dictum*, ait, quod cortex  
 ejus in modum canne sit rotundus & gracilis. Scalig. Exer-  
 cit. 144. scribit: *In Zeilan nascitur Cinnamomum, & in Mu-  
 tir, una ex Moluchis. Nullum gerit fructum. Æstu cortex  
 finditur, atq; absistit. Quod & Commaro accidit. Bis in an-  
 no deglubitur. Dulcis primum: mense postea perficitur.  
 Idcirco ibi Caunama vocatur. Caunamq; lignum significat:  
 Nama dulce. Tam propinquus etiam nunc nobis sonus est  
 vocabulo nostro. Et Syri affini voce, Chamam dicunt & c.*  
 Sed quid de hac sententiâ habendum sit, nemo non videt. Pli-  
 nius contra, quem modò nominavimus, vult id nasci in Æthio-  
 pia Troglodytis connubio mixta l. c. c. 19. quod tamen in dubium  
 vocat Dalechamp. in Not. quem vide. Strabo Lib. 15. ait: Habet  
 India, quæ Australis, Cinnamomum, sicut Arabia.

§. 9. Rabbini volunt, Judæam etiam eo abundasse, hinc in  
 Talm. Hieros. Peab. cap. 7. dicitur: קנמון מאכל עוים הויה  
*Cinnamomum olim cibus caprarum fuit; dum nempe terra Israël  
 adhuc in suo flore & vigore erat. Et quamvis Judæi non multas  
 Hierosolymis arbores aluerint, neque hortos fecerint, ut R. Na-  
 than in Abb. c. V. fol. 9. 2. tradit, tamen arbores Cinnamomi plan-  
 tâsse docet Talmud. Mas. Schabbath. fol. 63. 1. אר יהודיה  
 עצי ירושלם של קנמון היו ובעשה שחיו מסוקן מהן  
 ריחן נודף בכל ארץ ישראל ומשחרבה ירושלם נגנזו  
 ולה נשתויר אלא קנמון בשעורה ומשתכח בגנזא  
 דצימצמי*

מלכתא ריזימצמי מלכתא Dicit R. Jebuda: arbores Hierosolymita-  
næ fuerunt arbores Cinnamomi, & qua hora emiserunt ex se o-  
dorem suum, fragor fuit diffusus per totam terram Israëlis; à  
qvo tempore verò Hierosolyma vastata, abscondita fuerunt hæ  
arbores, neqve reliquum fuit, nisi Cinnamomum quantitate  
hordei, qvod fuit inventum in thesauris, qvod abscondit Re-  
gina.

§. 10. Tertia aromatum in textu Ebr. species denomina-  
tur קנה בטש *Canna vel calamus aromaticus s. odoratus*. LXX  
Interpretes reddiderunt κάλαμον ἐυώδην *calamum fragrantem,*  
*beneolentem*, sicut Trem. & Jun. *odoratum*. Chaldaus & Arabs  
expoluerunt per *calamum aromatis*. Vulg. autem simpliciter *cala-*  
*mum* appellat, ut Lutherus & Moguntini *Ralmes*. R. D. Kim-  
chi in *Kad.* dicit eam esse speciem, quam Vernac. קנייה h. e.  
Gall. *Canelle*, Hisp. & Ital. *Canella*, i. e. cinnamomum vocent,  
qvod cannam vel arundinem referat, Zimmtroren. Beer Mos.  
וויך נעניך *Neigelwürtz caryophyllum*. Sed qua ratione, non  
liquet. Fuit autem calamus hic non vulgaris ille, qvi apud nos  
in Pharmacopoliis reperitur & *Acorus* dicitur, sed pretiosum  
quoddam & unum ex præstantissimis aroma. Quapropter R.  
Sal. Jarchi iterum hic notat, תֵּבֶטֶשׁ (quam vocem Vulgata  
rursus omisit,) ad differentiam ejusdem nominis speciei, ad-  
dendum fuisse, cum sint calami, qvi non sunt aromatici & qvi-  
dem plurimi, ut prolixè hoc ostendent Buxt. *Lex. Talm.* &  
Schindl. in *Lex. Pentagl.* sub hac voce.

§. 11. Hunc verò calamum in Arabia India ac Syria nasci  
tradit Plinius *Lib. 12. Nat. Hist. c. 22.* Qui verò in Syria juxta lacum  
Genesaret provenit, eum optimæ notæ esse, in eodem lo-  
co docet. Ubi etiam juncum provenire odoratum; cui ta-  
men odore præstare calamum & statim è longinqvo ad se invi-  
tare, mollioremqve esse tactu, addit. Fistulæ porò calami in-  
esse araneum, qvod florem vocant: cui verò plurimum inest a-  
ranei, eum præstantiorem haberi, uti & eum, qvi minus fragi-  
lis est. Dioscoridi *Lib. 1. c. 19.* hic calamus arundini similis est  
aspectu, multis geniculatus nodis, casæ sapore, tactu mollis, &  
cum frangitur, scissilis, intus araneosus, locum, in qvo nasci-

atur, suavissimo replens odore. Et in hunc modum etiam scribit Isid. Lib. 18. c. 17. Calamus aromaticus à similitudine calami usualis vocatur. Gignitur in India, multis nodis geniculatus, fulvus, fragrans suavitate spiritus, qui cum frangitur, in multis fit partes scissilis, simulans gustu casiam, cum levi acrimonia remordente.

§. 12. Quarta aromatum species in textu Ebr. vocatur קרר. Quid verò per vocem hanc intelligatur, inter se discrepant Interpretes. LXX. vocabulum ἰριδος, iridis, quod & Josephus retinuit, posuerunt, quæ, ut Hesychius notat, est ἀρωματική ἢ πῶα, aromatica quædam herba. R. Saadias exponit esse קרר Costum, quem etiam Arabs interpres ab Erpenio editus, ut alibi sæpè, ita & hic sequitur קרר reddens. Est verò Talmudicis קרר Kost vel Costus, radix odoratissima, cum thure in sacro suffitu olim usurpata, qui in Massech. Kerithuth fol. 6. 1. describitur. De quo Costo Diosc. Lib. 1. c. 17. scribit: Κόστος Ἰνδική ἢ Ἀραβική, λευκὸς ὢν καὶ κῆρτος, πλείων ἔχων, καὶ ἡδέϊαν τὴν ὀσμὴν. Δευτερεύει δὲ ὁ Ἰνδικὸς, &c. Præstat ex genere Costi, Arabicus, albus existens & levis, plurimum habens, & spavem odorem. Secundus autem ab eo est Indicus, &c. conf. Plin. Lib. 12. H. N. c. 12. Beer Mos. vertit אינגבר Ingber / Zingiber, quod etiam Judæi moderni esse volunt. Reliqui interpretes ferè omnes Casiam habent, sicut & Lutherus Casien. Syrus: קרר. Vulg. Casia Targum קרר Casia vel casia: quod Talmudici sequuntur. Qvam interpretationem etiam laudat Kimchi in Rad. Et Aben. Ezra scribit: קרר ירעני Ex traditione novimus, quod sit קרר. Nec non R. S. Jarchi: קרר עשב ובלשון חכמים קרר Est nomen radicis herba & in lingua sapientum vocatur קרר. Per quam vocem semper intelligunt Casiam. Baal Aruch distingvit & ait, קרר לבנה esse speciem arboris, sed קרר absolutè esse speciem herbae vel oleris: Casiam albam autem dicit esse Costum. Similiter in Arabicâ & Græcâ lingua Casia dicitur.

§. 13. Descendit autem קָרְקַר à R. קָרְקַר, quod est inclinatus est vertice, ut sit genus aromatis crescentis vertice inclinato, docente Rivero, *Comment. in b. l.* Variæ verò Casiæ dantur species. Alia enim est *Coronaria*, adserta olim adhibita & herba suavissimi odoris, ut ait Servius in eccl. 2. Virg. ad illum versum:


*Tum casia, atq; aliis intexens suavibus herbis &c.*

Et in 2. Georg. *Casia & rosmarinus apibus apta sunt herba.* Alia etiam vocatur *Purgativa*, item *Casia fistula*, quæ siliqua Ægyptiaca est, nullius odoris, cujus usus est in officinis Pharmacopolarum; intra quam continetur humida quædam medulla, seu succus concretus instar multo crassius decocti. Alia denique est *Aromatica*, quæ tantum huc pertinet, & à Plinio *Lib. 12. H. N. c. 19.* ita describitur: *Frutex & casia est, juxtaq; cinnami campos nascitur, sed in montibus crassiore sarmento, tenui cute verius, quam cortice, quem conteritur, atq; in cinnamo levatur & exinaniri pretium est &c.* Ubi etiam addit, quod cubitos tres altus sit iste frutex, colore triplici, in inferiori parte albus, post rubescens, hinc nigricans: nigram autem casia partem bonitate reliquas antecellere & unguentis utiliozem esse. Plura vide apud ipsum.

§. 14. Salmuth ad Pancir *P. 1. tit. 11.* plantam odoratissimam fuisse ait, ex qua suavissimum oleum exprimebatur. Alii Nardum idcirco esse contendunt. Isidorus *L. 17. c. 8.* scribit: *Cassia nascitur in Arabia, virga robusti corticis & purpureis foliis, ut piperis. Est autem virtutis cinnamomi similis, sed potentia inferior: unde pro cinnamomi vice duplex ejus pondus in medicamentis adhibetur.* Dioscor. *L. 1. c. 12.* ita loquitur: *Κασσίας δὲ ἔστι πλείονα εἶδη. Περὶ τὴν ἀρωματοφόρον Ἀραβίαν γεννώμενα. ἔχει δὲ ῥάβδον παχύφλοιον. Φύλλα δὲ ὡς πυπέρεως. Ἐκλέγεται δὲ τὴν ἑγκύρρον, ἑυχρῶον, κρεαλίξσαν, σιτὴν λιαν, μακρὰν καὶ παχέαν, τοῖς συριγγίσις πλιθῆν, δηκτικὴν ἐν τῇ γέυσει, καὶ σύφρασαν μετὰ ποσῆς πυρώσεως. ἀρωματίζουσαν τῆ ὀσμῆ. Ἡ δὲ ταύτη ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων ἀχὺ καλεῖται &c.* *Casia* verò plures sunt species, circa aromatum feracem Arabiam nascentes: habet autem virgam crassicorticis, folia verò, ut piperi. Elige autem fulvescentem, pulchri coloris: ad corallii speciem vergentem, angustam valde, longam

gam & crassam, parvis fissulis plenam, mordacem sapore, & adstringentem, cum aliquantula ustulatione, seu ignea acrimonia, aromatis odorem imitantem, vini odorem referentem. Talis ab indigenis, acby, vocatur, &c. Et hujus iterum varia dantur casæ genera. Plinius Lib. 12. c. 19. & in eundem Dalechampius ex Dioscoride, Theophrasto & aliis septem memorat, è quibus *Daphnocidem* & *Isocinnamum* præferunt, bonitate & viribus cinnamomum æquantem, aut etiam pretio, quod auro æquiparare solent. Conf. hîc B. Dn. D. Geier. *Comment. in Ps. XLV. 9.* & Magnif. Dn. D. Calov. *in Bibliis illustr. ad h. l.*

§. 15. Plura de his aromatum speciebus afferre aut rixas ferere neque angustia pagellarum permittit, neque instituti est nostri. Certum tamen est & credibile, Deum, qui ut ens sanctum ac purissimum, ita purissimo quoque & sanctissimo coli voluit cultu, voluisse, Mosiq; in mandatum dedisse, ut optimam semper ac nobilissimam de quolibet aromate pretioso speciem ad conficiendum hoc oleum sacrum sumeret. Qui tamen plura, earumque accuratiorem desiderat notitiam, adeat Cl. & doctiss. Salmasium, in Exercit. Plinianis ad Solinum, in quibus fusè agit de unaquaque & ejus proprietate ac pretio. Conf. etiam Theophrast. *Lib. IX. histor. plant. c. 1. 2. 4. 5. 7. 9.* & ejus Comment. Bodæus. *Plinius Lib. XII. Hist. nat. c. 14. 15. 16. 18. 19. 22.* & *Lib. IX. c. 4. Lib. VI. c. 29. Lib. XIII. c. 1. Galen. Lib. VIII. medicam. simpl. & Lib. I. de Antidot.* Strabo *Lib. XV. & XVI.* Ptolomæus *Lib. VI. c. 7.* Herodotus *Lib. III.* Diodorus *Lib. V.* Aetius *L. IX. c. 37.* Avicenna *L. II. Serapio aggreg. c. 168.* Philostratus Apoll. sui *L. III. c. 1.* Dioscorides *L. 1. c. 2. 12. 13. 14. 17. 24. 76. nec non L. II. c. 29.* & ejus Comment. Matthioli, aliiq; Bauhinus *in magno opere histor. plantar. univers.* Isidorus *L. XVII. c. 8. & L. XIX. c. 8.* Clusius, *Lib. I. Aromat. hist. c. 32.* Cluverius *Introd. Geogr. L. VI. c. 6.* Solinus *in descript. Afr.* Petrus Bellonius *L. II. rer. memor. observ. c. 80.* Jonstonus *Hist. Nat. de Arb. & fruct. L. III. c. 3. 4. & L. VI. c. 3.* Frid. Hoffmannus *Clav. pharmaceut. Schræd. L. IV. sect. 1. & 2.* Rolfincius *de purgant. c. 12. art. 1.* Pancirol. *P. I. Tit. 2. 9. 12.* & ejus Comment. Salmuth. Garzias de Horto, Medicus Lusitanus, qui 30. annis in India vixisse dicitur, *Lib. I. aromat. c. 6. & 15.* Joh. Manard. *Lib. VIII. Epist. I. Jo. Langius Lib. I. epist. medicin. ep. 62. aliiq;.*














im nonnulli existimant pe-  
solam obedientiam paren-  
*Piscator edit. Herborn.*  
maces esse capitis supplicio  
ea de causa ab aliis refutatur.  
s autem minimè inficiemur,  
equium parentibus denegaf-  
tantum obruebatur lapidi-  
causæ gravissimæ, ob quas  
jure meritoque infligebatur.  
*bona de Synedriocap. 8. §. 2.*  
*fol. 189. pag. 2. 6 edit.*  
*Amstel. fol. 137. pag. 2. in 8.*  
nederit carnes in constitu-  
pore tantum pane & legu-  
vob comederit decimas fe-  
od comederit morticina &  
na, res abominabiles & re-  
nondum decimatas, & de-  
uferretur Teruma (sive pars  
danda sacerdotibus, prius-  
ur pro Levitis) & decimas  
um redemptas; quod come-  
g. comederit in jejuniis pu-  
itur, quod hic filius rebellis  
haberet quod devoraret ex-  
ia explicantur in *Commen-*  
B 3 ta-